

viter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo eum in pacem reducere possint; et viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quidquam contra eos factum dictumve videbitur, tardius universis poterit difficilisque sedari: qui nimirum si vere pacem diligenter, haud dubium quin eam quaerent sibi ipsis.

62 Deargentemus ergo pennas nostras in Christi conversatione, sicut et martyres sancti laverunt stolas suas in eius passione. Imitemur, quoad possumus, eum qui sic dilexit pauperatatem ut quavis in eius manu essent fines terrae, tamen non habuit ubi caput reclinare; ita ut discipulos adhaerentes ei legamus fame compulsos spicas manibus confricasse, cum per sata transirent: quique tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum (Is. LIII, 7): quem et super Lazarum et super civitatem flevisse, et in orationibus pernoctasse legimus, risisse vero aut iocasse nusquam: qui sic esurivit iustitiam ut, cum propria non haberet, tantam pro peccatis nostris a seipso exegit satisfactionem. Unde in cruce nihil aliud quam iustitiam sitiebat qui pro inimicis mori non dubitavit, et oravit pro crucifixoribus suis; qui peccatum non fecit, et imposita sibi ab aliis patienter audivit; qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit.

Varia de Adventu, ex Lanspergio Carthusiano.
(EXEGES. EVANG. DOM. I. ADV.).

63 ADVENTUM Domini celebrantes, hoc tempus significamus, quo patres nostri desideris ferventissimis, clamoribusque importunis Dei Filii incarnationem, suique, hoc est, humani generis redemptionem postularunt. Nos autem de Domini adventu aliquid dicturi, primum de quo (cum multi

plex posset intelligi adventus Domini) dicere statuamus, vobis significari necesse est.

Est enim adventus Domini in carnem. Hic iam 64 adventus praeritit. Deus enim homo factus est, non iterum hoc modo in mundum venturus. Est adventus alius Domini ad iudicium, quem expectamus quidem omnes, licet non pari fiducia et conditione. Veniet enim in fine mundi Dominus Iesus iudex ad generalem mortalium cunctorum resurrectionem, discussionem et retributionem, daturus omnibus, ut Scriptura habet, mercedem iuxta eorum opera. Quibusdam enim daturus est vitam felicitatemque aeternam, glorificaturusque corpora eorum, quae pro suo hic honore esurierunt, aleserunt, sudaverunt, persecutiones itemque odia sustinuerunt mundi, quamobrem eadem coronabit tunc incenarrabili felicitatem et gloria multiplici. Porro aliis e diverso ob eorum superbiam, lasciviam, voluptatem aliaque ipsorum peccata, reddet ut meruerunt. Huius adventus hodie iuxta Evangelium praesens, quod multis in ecclesiis legitur, nulla fit memoria, quae ex littera colligi possit. Est tertius adventus spiritalis, invisibilis secretusque Dei in mentem hominis, qui nullo non tempore fit, imo quotidie omnique momento. Hic tametsi omni tempore cogitari, optari expectarique debeat, tamen in hoc Evangelio non praecipua illius servatur memoria.

FERIA SEXTA

Homilia S. Bernardi Abbatis.

DE ADVENTU DOM. SERMO 5.

65 **D**IXIMUS nuper his qui deargentaverunt pennas suas dormiendum inter medios clericos, duos significantes adventus: sed ubi sit dormiendum non diximus. Tertius enim quidam adventus est medius inter illos; in quo delectabiliter dormiunt qui eum norunt. Illi enim duo manifesti sunt, sed non iste. In priori quidem in terris visus est cum hominibus conversatus est: quando, sicut ipse testatur, et viderunt et odorunt (IOANN. XV, 24). In posteriore vero videbit omnis caro salutem Dei nostri (LUC. III, 6); et videbunt in quem transxerunt (IOANN. XIX, 37). Medius occultus est in quo soli cum in seipsis vident

electi, et salvae fiunt animae eorum. In primo ergo venit in carne et infirmitate; in hoc medio in spiritu et virtute; in ultimo in gloria et maiestate. Per virtutem enim pervenitur ad gloriam: quia *Dominus virtutum ipse est rex gloriae* (PSAL. XXIII, 10). Et item alibi ait idem Propheta: *Ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam* (PSAL. LXII, 3). Adventus siquidem iste medius via quaedam est per quam a primo venit ad ultimum. In primo Christus fuit redemptio nostra; in ultimo apparebit vita nostra; in isto, ut dormiamus inter medios clericos, requies est et consolatio nostra.

66 Sed, ne cui forte inventitia videantur quae de hoc adventu medio dicimus, ipsum audite: *Si quis diligit me*, inquit, *sermone meo servabit: et Pater meus diligit eum, et ad quem veniens* (IOANN. XIV, 23). Sed quid est, si quis diligit me, sermone meo servabit? Legi enim alibi: *Qui timet Deum, faciet bona* (ECCLE. XV, 1); sed plus aliquid dictum sentio de diligente, quia sermone Dei servabit. Ubi ergo servandi sunt? Haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (PSAL. CXVIII, 11). Sed quomodo in corde servandi? an sufficit sola eos servare memoria? At vero sic servanti dicit Apostolus: *Quoniam scientia inflat* (II COR. VIII, 1). Denique et memoriam facile delet oblivio. Sic serva sermonem Dei, quomodo melius servare potes cibum corporis tui. Nam et ille panis vivus est et cibus mentis. Panis terrenus, dum in arca est, potest a fure tolli, potest a mure corrodii, potest vetustate corrumpi. Ubi vero comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei: beati enim, qui custodiunt illud. Ergo traiciatur in viscera quaedam animae tuae,

transeat in affectiones tuas et in mores tuos. Comede bonum, et delectabitur in crassitudine anima tua. Ne obliviscaris comedere panem tuum, ne exarescat cor tuum, sed adipe et pinguedine repleatur anima tua.

Si sic verbum Dei servaveris, haud 67 dubium quin ab eo serveris. Veniet enim Filius ad te cum Patre, veniet Propheta magnus, qui renovabit Ierusalem, et ille nova faciet omnia. Hoc enim faciet hic adventus, ut sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus et imaginem coelestis. Sicut fuit vetus Adam effusus per totum hominem et totum occupavit, ita modo totum obtineat Christus, qui totum creavit, totum redemit, totum et glorificabit, quique totum hominem salvum fecit in sabbato. Erat in nobis aliquando vetus homo: praevaricator ille erat in nobis, tam in manu quam in ore et in corde. In manu dupliciter, per facinrosam et flagitium. In ore similiter, per arrogantiam et detractionem. In corde quoque per desideria carnis et desideria gloriae temporalis. Nunc autem si qua nova creatura in ipso, vetera transierunt; et contra facinus in manu innocentia; contra flagitium continentia est. In ore contra arrogantiam verbum confessionis: contra detractionem verbum aedificationis, ut recedant vetera de ore nostro. In corde vero contra vetera desideria charitatis; humilitas contra gloriam temporalem. Et vide si non in his tribus Christum Dei Verbum recipiant singuli electorum, quibus dictum est: *Pone me signaculum super brachium tuum, signum super cor tuum* (CANT. VIII, 6); et alibi: *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo* (ROM. X, 8).

Varia de Adventu, ex Lapsario Carthusiano.

(SERM. DOM. I. ADV.)

68 **U**t igitur cor tuum totum Deo tuo offeras, praebeas ac plene resignes, observanda sunt septem exercitia, quorum Scriptura Sancta nos commonefacit. Primum est cor praeparare, tanquam domum Domino ad habitandum. Quia scriptum est: *Præparate corda vestra Domino*. Quod maxime de adventu Domini intelligitur, cui est locus in se dignus praeparandus. Quia vero scriptum est etiam: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo*: nec ipse habitare consentit in corpore subito peccatis, necesse est, ut omnem spurcitiam, omnem dolum et simulationem, omnemque impuritatem a corde tuo cicias. Alioqui non delectabit illum habitare in medio tui. Adorna igitur thalamum tuum, Sion, para Domino locum in te, non solum mundum et sanctum, sed etiam quietum. In pace enim cum sit ei factus locus, dedignatur impamctum habere domum. Esto igitur simplex, humilis, mitis, castus et pudicus, timens Deum, et recedens ab omni malo: et dubium non erit, quin eligat tecum Dominus habitare. O si audire etiam merearis Dominum tibi dicentem: *Lauda et laetare, filia Sion, quia ecce ego venio, et inhabitabo in medio tui*, hoc est, in corde tuo. Beatus qui habet te habitatorem, Domine Iesu. Beatus cui tu rex mansuetus adveniens, insides.

69 Secundum cordis exercitium est custodire. Ad quod sapiens nos hortatur dicens: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit*. Alia debemus, quae ad peccandum nos vel trahunt, vel alliciunt, vel invitant, proscindere, ut sunt peccata peccandique occasiones, tam in hominibus, quam in locis, aliisque quibuscumque noxiis evitandis. At vero cor nostrum communitate debemus bona ac firma voluntate, debemus custodire vigili cura et prudentia, debemus denique praesidium divinae custodiae orando nobis advocare. Nisi enim *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*.

70 Tertium exercitium legitur cordis in Scriptura, quod est aperire. Videndum tamen cui aperias cor. Neque enim omnibus aperiendum. Alioqui haudquaquam adhibenda praeciperetur nobis custodia cordis. Deo igitur soli cunisque nuntiis ab eo venientibus, hoc est, inspirationibus sanctis, admonitionibusque divinis aperiendum est cor. Aperiendum est et patefaciendum et consentiendum ad recipienda monita et consilia divina. Ideo scriptum est: *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, et in praecipuis suis, etc.* Adaperiat, inquit, hoc est, vos consentire placereque faciat vobis legem suam. De hac apertione in Apocalypsi Dominus

loquitur: *Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis mihi aperuerit ianuam, introibo ad illum coenabo cum illo*. Nihil enim magis desiderat quam aperiri sibi cor nostrum, quod ingrediat. Propterea in Canticis rogat: *Aperi mihi, inquiens, soror mea, anica mea, etc.*

Quartum est cordis exercitium, stabilire illud. *Optimum est*, inquit Apostolus, *gratia stabilire cor*. Cor stabilire est in proposito proficendi, atque ad meliora semper progrediendi perseverare, ne hodie Domino servire dum decrevimus, cras ab hoc in aliud, quod magis placeat, recedamus. Est quoque stabilire cor in hoc unum, quod solum est necessarium, illud figere, nec ab illo propter vana levitia otiosaque recedere. Quia vero, filii, indesinenter insidiatur nobis communis hostis noster, tentans quomodo a bono statu, quomodo a bono proposito nos aut retrahat, aut impediatur per mediae quaecumque potest, est idcirco necesse ut domus nostra fundata non sit super arenam tantum, sed super petram firmi immutabilisque boni propositi, quo nulli cedamus tentationi. Tentat enim, et avertere nos molitur diabolus a bono proposito aut per vitia, quae diligere consuevimus, aut sub colore specierque alterius boni melioris faciendi. Quod tamen solum proponit nobis, ut abducatur nos ab utili bono, quo unum deserentes aliud non obtineamus, aut ut saltem importunitate tacidoque suggestiones eius toties recidendi, victi deficiamus. Quapropter contra omnes eius astus stabiliamus corda nostra, nec haesitemus circa ea, ad quae vocati sumus, maxime si his testimonium afferat superiorum nostrorum, catholicorum assertio, si Sacrae accesserit Scripturae auctoritas, si denique ea nostra probaverit conscientia, et aliorum quoque bonorum virorum Deum timentium id roboraverit consilium. Ita quae cum nunquam non infestet nos serpentis astutia, quo a divinis nos praecipis, et a felici aut proposito, aut statu, aut loco nos abducatur, si mus memores sententiae Ecclesiasticae: *Fili, accedens ad servitium Dei, sta* (hoc est stabilis perseverans) *in iustitia et timore, et praepara animum tuum ad lationem*. Et iterum: *Esto firmus in via Dei*.

Quintum cordis exercitium est, dare alicui cor suum. Nemini iustius, nemini honestius, nemini castius, nemini feliciter cor nostrum dare possumus, quam Deo, utpote: cui totum debemus quo sumus. Et hoc solum cor nostrum desiderat. Quod ubi habuerit, satis est illi. De hac donatione sine obligatione cordis nostri Deo faciendam, paulo ante supra dixi.

Sextum exercitium cordis in Scripturis indicatum, est illud levare. Propterea Paulus nos admonet, quae sursum sunt quaerite, et in Threnis Iubemus

levare corda nostra cum manibus. Isaia quoque nos admonens: *Elevare, inquit, elevare, consurge Ierusalem*. Bis cor nostrum elevandum dicit, quia et intellectu et affectu in superiorum meditatione et appetitione decet nos semper versari.

74 Septimum legitur cordis exercitium, quod est illud scindere. De quo loel propheta: *Scindite, inquit, corda vestra et non vestimenta vestra*. Erat Iudaeorum consuetudo, si quid blasphemiae indignumque Deo audirent, scindere vestimenta, sed hoc faciebant multi Pharisaeorum et Iudaeorum duro et obstinato nihilominus corde. Dicit igitur Propheta, corda potius scindenda quam vestimenta. Vae enim duro cordi et obstinato, quia excludit a se gratiam et Dei misericordiam. Ea autem corda, quae franguntur, quaeve scinduntur ad contritionem, ad compunctionem et ad compassionem, aperiunt se ad divinae misericordiae receptionem. *Dicit filiae Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Expende singula verba, et vide quam sint suavia, quam affectiva, quam spirantia amore. Vide quam paterno quamque amanti corde, quam blande denique te filiam vocat, se regem tuum nominat, ut habeas unde in eo glorieris. Demum tibi, id est, propter te, et in utilitatem ac felicitatem se tuam venire praenuntiat. Ne autem ullo modo timeas, et ne fortasse ingratitude et delictorum tibi conscia, ad illum accedere verearis, praedicatur tibi quoque quod venit mansuetus. Neque enim modo venit ut iudicet munium, sed ut salvetur mundus per ipsum: venit salvare, non damnare: venit te sibi attrahere, non repellere. Ideo enim per Ieremiam tibi loquens, ait: *In perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te, miserans tui*.

SABBATO

Homilia S. Bernardi Abbatis.

DE ADVENTU DOM. SERMO 6.

75 **N**OLO vos, fratres, ignorare tempus visitationis vestrae: sed ne illud quidem, quid hoc tempore visitetur in vobis. Animabus enim hoc tempus est, non corporibus assignatum; quod videlicet longe dignior anima corpore priorem sibi sollicitudinem naturali vindicet dignitate. Sed et prior reparanda est quam constat corruiisse priorem.

Anima siquidem, corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in poenam. Denique, si Christi membra volumus inveniri, scquendum nobis est sine dubio caput nostrum: ut videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse iam venit et quarum prius mereri studeat corruptio. Corporis vero curam illi tempore magis reservemus, et differamus in illum diem quo reformandi corporis gratia est venturus, sicut meminit Apostolus, dicens: *Salvatore expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* (PHILIP. III, 20, 21). In priore siquidem adventu tanquam praeco, vel magis vere praeco, ipsius Ioannes Baptista clamat: *Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (IOANN. I, 29). Non dicit morbos corporis, non modestias carnis, sed peccatum, quod est morbus animae et corruptio mentis. Ecce qui tollit peccata mundi. Unde? Utique a manu, ab oculo, a collo, demum etiam a carne ipsa, cui altius infixum est.

Tollit peccatum e manibus, commissum 76 peccata delens: tollit ab oculo, purgans mentis intentionem: tollit a collo, violentam removens dominationem, sicut scriptum est: *Scapulum exactoris eius superasti, sicut in die Madian* (Is. ix, 4). Itemque: *Computrescet unguam a facie olei* (Ibid. x, 27). Et Apostolus loquitur, dicens: *Ut non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (ROM. vi, 12). Siquidem alio in loco ait idem Apostolus: *Scio, inquit, quod non est in me bonum, hoc est in carne mea* (ROM. vii, 18, 24). Et alibi: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sciebat nimirum non prius liberandum se esse a pessima illa radice quae carni infixae est, a lege peccati quae est in membris nostris, donec*

et ab ipso corpore solveretur: unde et cupiebat dissolvi et cum Christo esse, sciens quod peccatum, separans inter nos et Deum, penitus auferri non poterit, donec liberemur a corpore. Audistis de quodam quem Dominus curavit a daemone, quoniam collidens et multum discerpens eum daemon iussu Domini exivit ab illo. Itaque dico vobis, genus illud peccati quod toties conturbat nos (concupiscentia loquor et desideria mala) reprimi quidem debet et potest per gratiam Dei, ut non regnet in nobis, nec demus membra nostra arma iniquitatis peccato, et sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo Iesu: sed non eicitur nisi in morte, quando sic discernimur ut anima separetur a corpore.

77 Habes ad quid venerit Christus et cui intendere debeat christianus. Propterea noli, o corpus, noli praeripere tempora; potes enim impedire animae tuae salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent: patere ut nunc anima pro se labore, magis autem etiam collabora ei; quoniam si compateris, et conregnabis. Quantum eius impedis reparationem, tantum impedis tuam: quod nimirum ante reparari non poteris donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes, o caro, nobilem valde, et tota salus tua pendet de eius salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima vero peregrina et exsul apud te est hospitata. Quaeso te, quis rusticus, si forte nobilis et praepotens quispiam eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suae, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorum? Et tu ergo fac similiter. Iniurias vel molestias tuas ne reputaveris: tantum ut hospes tuus honorifice possit apud te demorari. Honor

tibi est ut pro eo interim te exhibeas inhonorum.

Ac ne forte despicias aut parvipendas 78 hospitem tuum pro eo quod peregrinus tibi videtur et advena, diligenter attende quid hospitis huius tibi praesentia largiatur. Ipse enim est qui tribuit oculis visum, auditum auribus praestat: ipse est qui linguae vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitae, si quid sensus, si quid in te decoris est, huius ospiti beneficium recognosce. Denique discessus eius probat quid praesentia conferebat. Protinus enim, anima discedente, lingua silebit, oculi nihil videbunt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expallescet. In brevi quoque totum cadaver putridum simul et putidum fiet, et decor omnis in saniem convertetur. Ut quid ergo pro temporali qualibet delectatione contristas et laedis hospitem istum, quem nec sentire quidem ullo modo poteris nisi per ipsum? Ad haec, si tantum tibi confert exsul et inimicitarum causa a facie Domini sui cietus, quantum tibi praestabit reconciliatus! Noli, o corpus, noli impedire reconciliationem illam: quoniam grandis tibi exinde gloria praeparatur. Patenter, immo et libenter temetipsum expone ad omnia: nihil dissimules quod huic videatur reconciliatione posse prodesse. Dic hospiti tuo: Quia recordabitur Dominus tui et restituet te in gradum pristinum, et tu memento mei.

79 Omnino enim memor erit tui in bonum, si bene servieris illi: et cum pervenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te et loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cum in ultionem culpae suae exsularet servus tuus, pauper quidam, apud quem hospitatus sum, fecit mecum misericordiam: et utinam retribuat pro me Dominus meus. Primo si

quidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit utilitatibus meis, non parens sibi propter me, in ieiuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame et siti, etiam in frigore et nuditate. Quid igitur? Profecto non mentietur Scriptura, qua dicitur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (PSAL. CXLIV, 19). O si forte gustare dulcedinem hanc, si forte gloriam istam valeas aestimare! Mira enim dicturus sum, sed tamen vera et omnino indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum et rex gloriae, ipse descendet ad reformanda corpora nostra et configuranda corpori claritatis suae. Quanta erit illa gloria, quam ineffabilis exultatio, quando Creator universitatis qui pro animabus iustificandis humilis ante venerat et occultus, pro te glorificanda, o misera caro, sublimis veniet et manifestus, non iam in infirmitate, sed in gloria et maiestate sua! Quis cogitabit diem adventus illius, quando descendet cum plenitudine luminis praerurentibus angelis et tubae concentu excitantibus de pulvere corpus inops et rapientibus illud obviam Christo in aera?

80 Quosque igitur caro misera, insipiens, caeca, demens et prorsus insana caro, transitorias et caducas quaerit consolationes, immo desolationes, si forte contingat repelli et indignam iudicari hac gloria, magis autem nihilominus ineffabili in aeternum excruciaci poena? Non sic, obsecro, fratres mei, non sic: quin immo delectetur in huiusmodi meditationibus anima nostra; quin etiam caro nostra requiescat in spe, Salvatore expectans Dominum nostrum Iesum Christum qui reformabit illam, configuratam corpori claritatis suae. Sic enim ait Propheta: *Sitivi in te anima mea,*

quam multipliciter tibi caro mea! (PSAL. LXXII, 2). Desiderabat siquidem anima prophetalis adventum priorem quo se noverat redimendam: sed multo amplius caro desiderabat adventum posteriori et glorificationem suam. Tunc enim implebuntur desideria nostra, et plena erit maiestate Domini omnis terra. Ad quam gloriam, ad quam beatitudinem, ad quam denique pacem, quae exsuperat omnem sensum, ipse sua nos misericordia perducet, nec confundat nos ab expectatione nostra Salvatore, quem expectamus, Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula.

Varia de Adventu, ex Henrico Augustodunensi.
(DE ANTIQVO RITU MISSARUM, II, 1.)

ADVENTUM itaque Domini ob tres causas celebramus: Primo, quia illud tempus recolimus, quo cum ab antiquis sanctis praenuntiatur cognovimus. Secundo, faciem eius laudibus praecoepamus, quo eum unicuique nostrum in fine vitae adventurum non ignoramus. Tertio, illud commemoramus quo cum adhuc affuturum indicem speramus. In Lectorio et in Evangelio quinqué hebdomadae adventus Domini annotantur, quia per quinqué saecula adventus eius a saeculis praenuntiabatur. In Antiphonario et in Graduali libro, quatuor septimane ei attuluntur, quia per legem, prophetas, psalmos, et gentium libros Christi Adventus praenuntiabatur. In hoc tempore *Gloria in excelsis*, et *Te Deum laudamus* non cantantur, quia iusti ante Christi adventum in tristitia inferni tenebantur. In hoc etiam dalmatica et subtile non portantur, quia vestes innocentiae et immortalitatis nobis per Christum reddebantur. Haec cuncta ideo etiam intermittuntur, ut in Nativitate Domini festivus amplectantur, et ut gratia novi Testamenti praestantior veteri cognoscatur.

DOMINICA II. ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XI, 2-10.

In illo tempore: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,